



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 Quibus signis seu modis discerni possint verij gradus distinctionis rerum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

Item à nobis positam, respondendum est. Ad primum respondetur duplici sensu posse sumi argumentum ab ente reali, vel rationis ad concludendam distinctionem realem, vel rationis. Primo tanquam à propria ratione & causa, ita ut talis existimetur esse distinctio, quales sunt res, in quibus versatur. Et hic sensus est falsus: ostensum est enim inter extrema realia intercedere distinctionem rationis, & è conuerso inter extrema rationis esse saltem quandam imitationem distinctionis realis. Secundo argumentum esse potest proportionale, seu à paritate rationis: ut quia in entibus non dantur nisi realia vel rationis, neque in distinctionibus danda sunt, & hoc sensu concedi potest proportio argumenti, si debito modo fiat, nihilque contra nostram sententiam concludet. Et enim, si ens reale in sua amplissima conceptione sumatur, pro omni eo, quod non est omnino nihil, quodque potest esse in rebus sine fictione intellectus, sic verum est, non dari medium inter ens reale rationis, & in eodem sensu concedo non dari medium inter distinctionem realem & rationis: nam omnis distinctio ex natura rei potest in hac amplitudine dici realis: & ita locuti fere sunt antiqui scriptores. Alio tamen modo potest sumi ens reale pro eo, quod ex proprio conceptu, seu ex vi suæ rationis formalis potest propriam entitatem asserere, seu constituere, & hoc sensu falsum est, non posse dari medium inter ens reale & rationis: datur enim modus entis, qui neque est merum ens rationis ut per se constat, neque est ens reale in eo rigore & proprietate sumptum, ut à nobis declaratum est: & ita etiam datur distinctio modalis media inter distinctionem rationis, & realem rigore sumptam.

XXVII. Ad secundum respondetur, inter idem & diuersum secundum eandem rationem sumpta non dari medium, ut recte argumentum probat. tamen secundum diuersas rationes fieri posse, ut, quæ sunt idem vno modo, alio sint diuersa, ut D. Thom. dixit 1. p. q. 11. art. 1. ad 2. Sic igitur ens & modus possunt dici idem realiter, & nihilominus habere in re distinctionem modalem.

XXVIII. Neque contra hoc quicquam vrget tertium argumentum, nam nos non dicimus rem & modum distingui secundum proprias rationes, & non secundum communem, quod supponunt fere omnes replicæ ibi factæ: nam eo modo quo distinguuntur ens & modus à parte rei, distinguuntur omnia prædicata superiora etiam transcendentalia inclusa in modo ab his quæ includuntur in re cuius est modus. Atque ita concedendum est, quatenus modus est ens, eatenus ipsum & rem quam modificat, esse duo entia, & distingui in re ipsa, vel realiter late loquendo. Nihilominus tamen addimus, modum non esse propriæ & rigore ens, & hoc modo negamus ibi esse duo entia: negamusque subinde, ens hoc modo propriè sumptum esse prædicatum superius ad rem & modum eius. Et ideo necesse non est, propter distinctionem modi à re multiplicari entia in dicta proprietate & rigore sumpta. Vnde ad confirmationem illius tertij argumenti, idem dicendum est de accidente, quod dictum est de ente, quia accidens interdum significat formam habentem propriam entitatem ex se distinguibilem & separabilem realiter ab omnia alia, interdum significat modum solum alterius, vel accidentis, vel substantiæ. Et priori modo repugnat, in eadem re inueniri plures rationes accidentis, ut argumentum conuincit, non tamen repugnat vnæ entitatem accidentalem habere vnum, vel plures modos ab ipsa tantum modaliter distinctos. Substantia vero simpliciter dicta, non significat modum, sed rem propriam & perfectam in suo esse, & idem est de corpore, & de quocunque gradu substantiæ sub his collocato; & ideo fieri non potest, ut hi gradus in re ipsa multiplicentur, non multiplicatis rebus, & substantiis. Tamen etiam in latitudine

substantiæ in communi, seu analogicè sumptæ, possunt dari aliqui modi substantiales, in quib. fieri potest, ut in eadem re seu substantia propriè & simpliciter dicta, sint vnus, vel plures modi substantiales inter se & ab illa modaliter distincti, ut sunt substantia, vnio, &c.

Atque ex eis facilis est solutio ad quartum, nam quod dictum est de ente, dicendum est de essentia reali. Potest significare propriam naturam ex se sufficientem ad constituendam entitatem in rerum natura, vel latius quamcunque rationem realem constitutiuam entis, aut modi realis. Hoc posteriori sensu concedimus in re & modo esse distinctas essentias, & ideo esse inter ea distinctionem ex natura rei, & aliquo modo realem. Priori tamen sensu vnica tantum est essentia in qualibet entitate: modi autem, qui ab illa ex natura rei, seu modaliter distinguuntur, non possunt esse de essentia eius, sed vel accidentia, vel ad summum, pertinentes aliquo modo ad integritatem vel causalitatem eius, ut de singulis postea exponemus. Ex quo sequitur (quod valde notandum est) in qualibet entitate propriè dicta esse vnica essentialem rationem, ut conuincunt ad minimum omnia illa argumenta in principio facta, quæ ratio essentialis, quasi fundamentalis est, & inuariabilis in tali entitate: ita ut impossibile sit, illam entitatem conservari in rerum natura sine illa ratione essentiali: quia per illam primo constituitur: vnde non potest esse nisi vna specifica, ut argumenta facta conuincunt. Rationes autem modales, quæ possunt esse quasi adhaerentes, vel affixæ tali entitati multiplicari, & variari possunt, quia in re sunt extra essentiam eius: ut in particulari clarius constabit in discursu totius Metaphysicæ.

SECTIO II.

Quibus signis seu modis discerni possint variari gradus distinctionis rerum.



Ota difficultas consistit in discernenda distinctione modali à cæteris: nam distinctio realis & rationis cum sit extremè opposita facile discernuntur: distinctio autem modalis cum sit media interdum existimatur realis propter conuenientiam, quam habet cum illa: interdum verò existimatur nulla in re, sed secundum rationem tantum propter quandam conuenientiam cum alia. Vt ergo aliqua generalia signa habeantur, quæ ad particulares questionis applicari possint, nonnulla breuiter dicenda sunt, supponendo, ut aliqua à nobis distinguantur plusquam ratione ratiocinantis (de qua distinctione nihil oportet addere, quia est prorsus conficta) ut minimum, seu in primis necessarium esse, ut habeant distinctos conceptus obiectiuos, & secundum eos rationes formales aliquo modo distinctas: quia nisi hoc saltem modo concipiantur, nec concipientur, ut distincta, neque erit vlla ratio inquirendi, quantà, vel qualis sit inter ea distinctio: suppositis verò pluribus conceptibus obiectiuis optimè & merito inquiretur, quomodo cognoscetur, an in re habeant distinctionem, & qualis illa sit.

Signum actualis distinctionis in re.

Dico primo, Quandocunque duo conceptus obiectiuè ita se habent, ut à parte rei, & in indiuiduo separari possint, vel ita ut vnus sine alio in rerum natura maneat: vel ita ut realiter desinatur, & realem vnionem, quam habebant, amittant, signum est inter illa esse maiorem distinctionem quam rationis ratiocinantis: atque adeo actualè aliquam ex natura rei, seu quæ

I.

In quo sita sit difficultas.

II.

quæ à parte rei sit. Hæc assertio communis est Doctorum & sumitur ex Arist. 7. Topic. cap. 1. loco 15. ubi sic inquit, *Amplius si potest alterum sine altero esse, non erit idem, ubi Alex. Aphrodis. id notat. Sumi etiam potest ex August. 6. de Trinitat. cap. 6. ubi cum dixisset: In unoquoque corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura, talem probationem subiungit, Potest enim & diminuta magnitudine manere idem color, & eadem figura, & mutato colore manere eadem magnitudo, & eadem figura, & figura eadem non manente, tam magnum esse, & eodem modo coloratum, & quæcunque alia simul dicuntur de corpore possunt & simul, & plura sine ceteris commutari, ac per hoc multiplex esse coniunctura naturæ corporis, simplex autem nullo modo. Et inferius inde probat, animam humanam non esse simplicem, quia habet varios actus & affectus, quos esse distinctos ostendit: Quia alia sine aliis, & alia magis, alia minus inueniri possunt. Hæc etiam regula vtuntur frequenter Scholastici, vt patet ex Mag. in 1. d. 8. Durand. dist. 30. quæst. 2. Scotus in 2. d. 1. q. 5. & in 3. dist. 8. qu. 1. Ocham in 1. d. 1. quæst. 3. & ibi Gab. quæst. 3. art. 3. dub. 1. Hernandez quodlib. 3. qu. 3. & ex Metaphysicis vtuntur hac regula Ioan. De Gandauo 6. Metaph. qu. 10. Anton. Trombeta 5. Metaph. qu. 3. ar. 1. Fonseca 5. Metaph. c. 6. qu. 6. sect. 1. Item Ferrar. 1. Phys. qu. 10. & Paul. Venet. 3. Phys. text. 19. Aristot. de ciuitate sect. præced. Eadem vtuntur multi ad probandam distinctionem ex natura rei inter substantiam & naturam creatam, vt patet ex Aegid. cit. sect. præced. Med. 3. p. q. 4. art. 2. Et infra plures referemus suo loco. Et eodem argumento probari solet in hærentiam distinguere ab existentia accidentis: & dependentiam, seu actionem à termino, quæ omnia in sequentibus videbimus.*

III.

Ratione probatur, quia, si ea, quæ à nobis concipiuntur, vt habentia duos conceptus obiectiuos, in re inueniuntur coniuncta, & postea separantur, vel vtrumque manet à parte rei existens post separationem ab alio, vel alterum definit esse, & alterum manet: si priori modo accidat, necesse est, illa duo ex natura rei imo & realiter distinguere; primo quia impossibile est idem omnino à se ipso seungi ac separari à parte rei: inuoluitur enim aperta contradictio: nulla enim excogitari potest maior vnio in re, quam totalis identitas in re, imo illa non est vnio, sed vnitas. Sicut ergo impossibile est diuidi, quod indiuisibile est, ita & à se ipso seungi, quod idem omnino est. Deinde quia si illa duo manent à parte rei, & non vnita inter se, vnum non est modus alterius, neque è contrario: quia de essentiali ratione modi, vt vidimus, est esse actu vnitum, seu affixum rei cuius est modus: ergo quādo cūq; aliquid potest separari ab alio, & separatū conseruari, est signum euidentis, non esse modum illius: erit ergo, vel res per se ipsam distincta realiter ab alia, vel modus alterius rei aliter distincta, ratione cuius est modus ipse realiter distinguetur ab alia re. Si autē duo ita separantur in re, vt vnum existēs maneat, & non aliud, necesse est, vt saltem modaliter distinguantur. Primo, quia impossibile est, vt idem sit & non sit: ergo, si hoc non existit, quod antea existebat, & aliquid manet existens, non possunt esse in re idem omnino, alioqui idem simul existeret, & non existeret. Secundo, quando hæc duo ita separantur, aliquid positium est id quod in re tollitur ab alio, & definit esse, sumendo late aliquid vt distinguitur contra nihil, pro omnire, vel modo reali, tale enim supponimus esse vtrumque eorum quæ prædicto modo separabilia sunt: illud ergo, quando erat, distinctū aliquo modo erat ab eo, quod existens manet. Tandem, quia non est minus impossibile separari idem omnino à se ipso, destructo altero extremo, quā conseruato vtroque: sed ostensum est, non posse idem à se ipso separari manente extremo: ergo neque poterit altero non manente: ergo quoties fieri potest talis separatio, supponitur in re distinctio. Et ideo valde errant, qui existimant, relationem esse aliquid

reale positium, sine quo potest fundamentum manere in re ipsa, & tamen non distinguui actualiter, & à parte rei ab ipso fundamento: est enim aperta implicatio contradictionis. Nam, si relatio in sua essentia aliquid reale est, & nunc est in fundamento, & postea non est, manente ipso fundamento integro in sua entitate & essentia, necesse est, vt, quicquid illud est, quod est relatio, sit aliquo modo in re ipsa distinctū à fundamento: alioquin idem omnino secundum rem defineret esse & maneret.

Sed obieciens, nam animal est in re coniunctum homini, & est separabile ab illo in equo, vel in leone: & tamen non distinguitur in re ab illo, vt supra dictum est. Respondetur, ideo in proposita regula dixi, id quod in re ipsa, & in indiuiduo est separabile: animal enim (& idem est de omnibus similibus prædicatis) solum est separabile ab homine secundum communem rationem conceptam, secundum quam non habet in re vnitatem in multis, sed ratione tantum: quatenus vero animal est in re, & in indiuiduo coniunctum homini, non est separabile ab homine: nam hoc indiuiduum animal, quod in re est hic homo, nunquam potest in remanere nisi maneat homo, neque è conuerso potest durare hic homo, quin duret hoc animal.

Vergebis, nam saltem in Deo, diuina essentia est in re coniuncta paternitati, & eadem numero est separabilis ab illa, quatenus est coniuncta filiationi; & tamen non distinguitur actualiter in re ipsa. Aliqui Theologi propter hanc difficultatem admittere videntur distinctionem actuale, & in re ipsa saltem modalem inter relationem diuinam & essentiam, quod solet tribui Scoto, sed clarius id sentit Durandus: nam Scotus obscurius, & valde in communi loquitur de sua distinctione formali. Ea vero sententia in prædicto sensu est valde falsa, multumque repugnans diuinæ simplicitati, & perfectioni. Hæc vero disputationem Theologis relinquimus: & respondemus breuiter. Primo, negando essentiam esse separabilem à paternitate: aliud est enim esse communicabilem filiationi, vel Processioni, aliud vero esse separabilem à paternitate: quin potius ex intrinseca ratione sua, postulat ita communicari illi, vt ab hac non separetur: non ergo habet hic locum regula posita de separatione. Secundo respondetur, esse illo modo communicabile multis inter se distinctis realiter, sine distinctione ab eo, quod illis commune est, nisi sola ratione, seu virtualiter, esse proprium rei in finita simplicitate: & ideo quamuis late loquendo de separatione pro coniunctione cum alia re distincta realiter, in creaturis optimum argumentum sit, quicquid coniungitur cum alio realiter distincto, esse etiam ipsum in re distinctum ab altero extremo: quia non potest vna res finita eadem numero per identitatem coniungi cum rebus realiter distinctis; tamen in re infinita hoc nullum argumentum est propter summam eius simplicitatem & perfectionem; & hoc est mysterium Trinitatis, quod sola ac certissima fide tenemus.

Signum distinctionis tantum modalis.

Disco secundo: Separatio vnus ab alio, quæ solum est non mutua (vt vulgo appellatur) id est, in qua vnum extremum potest manere sine alio, non tamen è conuerso, est sufficiens argumentum distinctionis modalis, non tamen maioris, seu realis proprie sumptæ. Prior pars satis probata est in præcedente assertionem. Posterior probatur, quia ex huiusmodi separatione non mutua recte conuincitur, eam rem quæ potest manere destructo alio extremo habere per se suam realitatem independentem intrinsece & entitatie, seu essentialiter ab illo extremo, quod destructui potest, ipsa manente: non vero potest inde concludi aliud extremum, quod destructui potest habere

ex se

IV.
Obiectum
distinctionisV.
Replicat
Theologus
respondensRelatiōem
diuinā ab
essentiā diuinā
modo in re
distinctā

VI.

ex se propriam entitatem: quia, ut supponitur, illud extremum tale est, ut manere non possit sine altero; sed ad hoc sufficit, ut sit modus eius: imo hoc est intrinsecum, ut diximus entitati modalis, ut per se manere non possit, nec separari actu ab eo, cuius est modus: ergo ex prædicta separatione non potest concludi maior distinctio, quam modalis. Et confirmatur, nam ita comparatur modus localis ad modum, sessio ad sedentem, actio ad terminum, inter quæ nullus, qui recte sentiat, maiorem distinctionem ponit, quàm modalem.

VII. Sed quæret aliquis, esto sit vera hæc regula, quasi negatiua, ex hac separatione non necessario colligi maiorem distinctionem, an positiua etiam regula vera sit, ea scilicet, quæ hoc tantum modo separabilia sunt, tantum etiam modaliter distingui, & non maiori distinctione reali. Videtur enim incerta, atque adeo fallax talis regula; nam, licet illud solum signum non sit sufficiens argumentum maioris distinctionis non videtur tam signum sufficiens ad negandam maiorem distinctionem. Fieri enim potest, ut illa inseparabilitas, quæ est ex parte alterius extremi, non oriatur ex identitate aliqua, vel minori distinctione, sed ex aliquo modo dependentiæ magis intrinseco & separabili. Ut verbi gratia, subiectum, & accedens ita comparantur, ut subiectum possit manere sine accedente: accedens vero non possit naturaliter manere sine subiecto, etiam si sit res distincta ab illo. Et aliqui existimant nonnulla accidentia, etiam si sint realiter distincta, non posse etiam supernaturaliter sine subiecto conservari, ut actus vitales, & si quæ fortasse sunt alia similia. Illa ergo positiua regula, vel falsa est, vel incerta. Respondetur, aliud esse loqui de inseparabilitate naturali: aliud vero de inseparabilitate in ordine ad potentiam Dei absolutam. Nam ex priori sola non potest sufficiens argumentum sumi in distinctionis realis propriissime & in rigore sumptæ, ut argumentum factum conuincit, & exemplum de subiecto & accidente, & simile de materia, & singulis formis materialibus materia enim potest à qualibet indiuidua forma separari, & sine illa conservari: nulla vero talis forma potest naturaliter separari à materia, ita ut sine illa conservetur.

VIII. At vero, si sit sermo de inseparabilitate in ordine ad potentiam Dei absolutam, valde probabile argumentum sumitur, ea, quæ prædicto modo compatiuntur, & conservari non possunt mutuo separata, tantum distingui modaliter. Ratio est quia si alterum extremum ex illis duobus tale est, ut per potentiam Dei absolutam, non possit sine alio conservari, magnum argumentum est, illud essentialiter tatum esse modum quandam, & non veram entitatem: quia, si esset vera entitas non posset habere tam intrinsecam dependentiam ab alia entitate, ut non possit Deus illam supplere sua infinita potentia: ergo solum potest id prouenire ex eo, quod illud extremum in sua intrinseca essentia non est entitas, sed tantum modus. Antecedens patet: quia causalitatem efficientem ut sic Deus potest supplere, ut omnibus est notum. Item, conservando accedens sine subiecto supplet causalitatem materiale non respectu compositi, sed respectu alterius extremi; quæ sola illius generis in præsentem interuenire potest. Et eadē ratione posset supplere similem causalitatem formalem, si interueniret, quia non est de se minus intrinseca, quam materialis. Nec fingi potest aliud dependentiæ genus inter res absolutas, ut omitam relationem & terminum, de quibus statim. Dices. Multi putant, materiam non posse conservari à Deo sine forma, licet forma possit conservari sine materia: & tamen non sequitur solum modaliter distingui: Respondetur, qui ita sentiunt, ipsi viderint, quo probabili fundamento id afferant: mihi enim illa sententia probari nunquam potuit, ut infra dicam tractando de causis. Deinde non est simile de materia; nam, licet gratis

demus non posse materiam sine omni forma conservari: tamen certum est, posse naturaliter conservari sine hac vel illa, & sine quacunque forma determinatæ: & hoc est sufficiens argumentum, materiam non esse modum formæ, sed esse rem distinctam, quantum est ex se: nam id quod est modus tantum, non solum separari non potest ab omni re cuius est modus, sed etiam neque hic modus in indiuiduo potest separari ab hac re indiuidua, ut hæc sessio ab hoc sedente; cum ergo materia in indiuiduo & hæc numero, separari possit ab hac forma, & esse sub quacunque alia, recte colligitur, ipsam non esse modum formæ. At rursus ex eo, quod forma est res separabilis & potens manere sine materia saltem de potentia absoluta; recte etiam concluditur ipsam non esse modum materiæ, sed in se habere suam entitatem, quæ per distinctam unionem materiæ coniungitur. Præter alia argumenta, quæ sumi possunt ex perfectione formæ super materiam, & ex actiuitate eius, & aliis similibus. Regula ergo posita, et illo positiuo modo declarata, quoad nos valde probabilis est. Dico, quoad nos, quia fortasse contingere potest, ut in se sint distincta, quæ respectu cognitionis nostræ non exhibent sufficiens signum distinctionis. Tamē, quia nos iudicium ferre non possumus de iis quæ in se ipsis non videntur, nisi per effectus, vel signa nobis nota, & quia generalem regulam habemus, non esse multiplicandas distinctiones sine sufficiente fundamento: quia distinctio non fit à natura sine sufficiente causa, vel necessitate, ac denique quia illa inseparabilitas videtur etiam directe ostendere aliquam identitatem, ideo probabiliter coniectamus, ubi non est possibilis separatio mutua, sed non mutua tantum, non esse distinctionem nisi modalem.

Signa realis distinctionis.

IX. Dico tertio: Quamuis ad distinctionem realem cognoscendam, plura indicia solcant assignari, tamen duo, quæ ex separatione sumuntur, videntur potissima, vñ est de separatione tantum, quoad realem unionem, id est, si vtrumque simul & actu possit conservari in rei natura absque unionem reali inter se. Aliud est de separationem mutua quoad existentiam, id est, quod vñum possit sine alio conservari, & e converso, per se immediate, & sine ordine, seu connexionem necessaria cum aliquo tertio. Hæc duæ regulæ sunt ferè probatæ explicando duas conclusiones præcedentes. Et prima patet, quia illa duo quæ sic separantur, non possunt sic se habere, ut vñum sit modus alterius neque e contrario: quia de essentia modi est ut non possit esse, nisi vnitus actu ei, cuius est modus, quia se ipso vnitur, & non alio unionis modo, ut satis declaratum est: ergo illa duo, vel erunt res distinctæ, quod intendimus: vel erunt modi rerum distinctarum, vel vñum erit res, & aliud erit modus alterius rei distinctæ: & quocumque istorum modorum se habeat, distinguuntur realiter: vel per se, vel ratione rerum distinctarum, iuxta dicta in Sect. præced. Secunda probatur, quia, quando duo ita se habent, ut mutuo separari possint, & vñum sine altero conservari; neutrum potest esse modus alterius, quia intrinseca ratione modi est, ut manere non possit sine re cuius est modus: ergo vtrumque illorum erit vera res secum afferens veram entitatem, quæ conservari potest sine altera. Ergo necesse est, ea quæ huiusmodi sunt, realiter distingui; quia distinguuntur à partem rei, cum separari possint & non distinguuntur tanquam res, & modus rei, sed tanquam res & res: ergo distinguuntur realiter. Dixi autem, per se & immediate, quia fieri potest, ut duo modi eiusdem rei possint mutuo vnus esse sine altero, & e contrario, & tunc non recte colligitur distinctio realis inter illos: quia, licet non ratione sui, formaliter loquendo saltem ratione rei quam modificant, habent

bent inter se quandam realem identitatem, & nenter illorum est separabilis, ita ut conseruetur sine re, quā modificat.

X.

Atque ex his constat, nihil referre, quod hęc separatio naturaliter fieri possit, vel de potentia absoluta: quia tam essentialē est illi rei, quam nos tantum modum appellamus, esse actū affixam; & modificantem rem cuius est modus ut repugnet ei de potentia absoluta conseruari sine illa re, seu aliter, quam actū modificando illam. Quā ratione nec mente intelligi potest figura separata ab omni quantitate & re, cuius sit figura, vel relatio sine fundamento, si est modus eius vel motus sine mobili, & sic de aliis similibus. Et ratio est supra tacta: quia, quæ huiusmodi sunt, non habent ex proprio conceptu sufficientem entitatem, in qua conseruentur, sed solum ex quadam identitate ad ea, quibus insunt, ergo quidquid prædicto modo separabile est, etiam de potentia absoluta, non est modus, sed res distincta. Quod ergo attinet ad inferendam in re ipsa distinctionem, nihil refert, quod separatio prædicta naturaliter, vel supernaturaliter fiat, solum quoad nos poterit esse notior distinctio, quando separatio naturaliter sit, interdum verò notificatur nobis per supernaturalia mysteria, quorum cognitio multum iuuat ad naturalia cognoscenda. Quomodo per mysterium Eucharistiæ certius nobis consistit, quantitatem esse rem distinctam à substantia, quam per cognitionem naturalem conflare potuisset.

XI.

Attentione dignum.

Ubi etiam obiter obseruari potest, quod, licet interdum non sit facta mutua separatio & conseruatio duarum rerum, sed vnius tantum ab alia, nihilominus nobis sufficit ad inferendam distinctionem realem, ut in prædicto exemplo. Hactenus quidem factum non est à Deo, ut materialis substantia sine quantitate conseruetur, sed solum ut quantitas sine substantia materiali permaneat, & nihilominus hoc nobis est sufficiens argumentum, ut colligamus quantitatem, & substantiam non solum modaliter, sed etiam realiter distinguere. Non quidem ratione formæ, (ut sic dicam) sed ratione materiæ: nam in humanitate & substantia factum etiam est ut humanitas sine substantia creata conseruetur: non est autem factum, neque fieri posse credimus, ut substantia creata sit absque propria natura substantiali, cuius est terminus, unde in hoc exemplo ex prædicta separatione non colligimus distinctionem realem, sed solum modalem. Igitur in his præter separationem oportet considerare naturam eius, quod sine alio conseruatur; nam si illud sit natura sua, quasi adhuc alteri, & imperfectius illo, ac denique id, quod maxime videtur habere posse rationem modi & nihilominus sine alio conseruatur, signum est distinctionis realis, secus vero est, quando id, quod in re manet, est perfectius, habensque præcipuam rei entitatem. Ut in prædictis exemplis comparando ex se substantiam, & quantitatem, clarum est substantiam esse perfectiorem, & quod si vna esse deberet modus alterius, non substantia quantitatis, sed quantitas deberet esse modus substantiæ: igitur, cum per separationem quantitatis à substantia satis declaratum sit, quantitatem non esse modum, sed veram rem, satis consequenter declaratum est, substantiam & quantitatem non distinguere ut rem & modum, sed ut duas res. At verò in natura & substantia potius constat, substantialem naturam esse præcipuam rei entitatem: & quod, si aliqua earum est modus alterius, substantia est modus naturæ, & non è contrario: ex vi autem separationis factæ declaratum non est substantiam esse plus quàm modum, cum ipsa non sit sine natura conseruata, & ideo ex illa non licet colligere distinctionem realem, sed modalem tantum.

XII.

Vnde conueniendū dicitur in iis regulis prædictis deferuire non possunt, cum tamen

Sed difficultas hic superest, quando nulla separatio, nec naturalis, nec supernaturalis facta est, quomodo tunc cognosci possit distinctio realis, quia tunc regulæ prædictæ deferuire non possunt, cum tamen

non repugnet, multa distinguere realiter, quæ hactenus non sint aliquo ex prædictis modis separata, ut materia & forma celi. Quod si dicas esto non sint separata, posse cognosci ut separabilia: hoc perinde dictum est ac si diceretur cognosci esse distincta, vel saltem eiusdem difficultatis est: hoc enim inquirimus, quomodo cognoscemus esse separabilia, si nec naturaliter separantur, neque à Deo hactenus separato sunt aliquo ex prædictis modis. Et augetur difficultas, quia aliqua sunt inseparabilia, etiam de potentia absoluta, quæ tamen censentur realiter distincta, ut de intellectu & voluntate, tam inter se, quam respectu animarum, multi existimant. Propter priorem difficultatem dici potest, dictum signum ex separatione sumptum, neque esse adæquatum, neque vnicum, nec semper primum aut necessarium, solumque assignari ut certius & notius, quando haberi potest, ideoque præter illud assignari solent nonnulla alia, quæ breuiter attingenda sunt.

Aliud signum realis distinctionis ut inutile relictur.

Primum est, distinctio existentiarum; nam quæ distinguuntur realiter, habent distinctas existentias, quæ vero distinguuntur modaliter, vnicam tantum existentiam habent: nam modus ideo modus est, quia non habet aliam existentiam præter existentiam rei, cuius est modus.

Sed hoc signum nullius momenti est; quia, vel est obscurus, quam id de quo agimus, vel petit principium, vel aliquid falsum inuoluit. Primum enim, si verum est, existentiam esse actualem rei entitatem; perinde est dicere illa distinguere realiter, quæ habent existentias distinctas, ac si diceretur, ea distinguere realiter, quæ habent entitates distinctas. Si autem existentia fingitur esse res distincta ab essentia actuali, aut supponitur, eas res quæ habent distinctas existentias, habere etiam distinctas essentias: & hoc est quidem verum, tamen non est minus difficile cognoscere distinctas existentias, quam distinctas essentias, nisi forte per separationem, vel asseritur posse duas essentias habere vnam existentiam, & tunc distinguere tantum modaliter: realem verò distinctionem esse quando cum distinctione essentiarum, coniungitur etiam existentiarum distinctio: & hoc non solum existimo ita esse occultum, ut naturaliter de nullis rebus cognosci possit; verum etiam esse falsum: quia nulla est maior ratio distinguendi essentias, quam existentias, in his, quæ modaliter distinguuntur: idem enim modus distinctionis, qui est inter essentias, esse potest inter existentias. Quocirca supponendo, quod infra probabimus, existentiam nihil aliud esse præter rem ipsam essentia æqualis, sicut in re & modo intelligitur distinctæ existentia: quia modus, ut cōdistinctus à re quā modificat, habet suam actualitatem: eadem ergo est ratio, idemque modus distinctionis inter illa duo, siue in potentia, siue in actu, siue secundum esse essentia, siue secundum esse existentia consideretur. Adde denique iuxta opinionem asserentem esse existentiam rem distinctam ab essentia, posse res realiter distinctas eadem indiuisibili existentia existere, ut materiam & formam, & partes omnes eiusdem compositi: ergo etiam iuxta illam opinionem distinctio rerum non satis neque verè manifestatur per distinctionem existentiarum, in his rebus, quæ ita sunt distinctæ, ut sint inter se coniunctæ, in quibus præsens difficultas potissimum versatur, quando quidem res distinctæ, & osunt habere eandem existentiam. Quod si fortasse aliquis hoc non admittat, non est cur possit consequenter admittere, rem & modum habere eandem omnino existentiam, sed modaliter etiam distinctam, ut vnumquodque habeat esse sibi accommodatum: igitur eadem questio erit de distinctione rerum, vel modorum, & de distinctione existentiarum.

Aliud

*Aliud signum realis distinctionis ex Aristotele
sumptum exponitur.*

XV.

SECUNDUM signum sumi potest ex diuersa productione, vel corruptione, ita ut ea dicantur realiter distingui, quæ diuersa generatione & corruptione generantur, & corrumpuntur. E contrario vero ea esse realiter idem, quæ eadem generatione generantur: hoc enim signo usus est Aristoteles libro quarto, Metaphys. textu 3. ad probandum, ens & vnum esse idem. Hanc sententiam refert Fonseca ex Anton. Tromb. tractat. de formalit. capit. 2. & eam impugnât. Quia proprietates animæ eadem actione cum ipsa anima producuntur, & tamen sunt res distinctæ: & e contrario relatio non distinguitur realiter à fundamento; nec figura à quantitate, & tamen diuersa actione producuntur. Sed non censeo, hoc signum esse falsum, si debita proportionem intelligatur, censeo tamen esse fere inutile ad cognoscendam distinctionem, nisi quatenus aliquo modo includit signum separationis. Explico singula, & in primis suppono, sermonem esse de naturali actione seu productione rerum, non miscendo miracula. Item esse sermonem de his, quæ ex se, & natura sua requirunt distinctas actiones, quibus sunt, etiam si simul producuntur. Cur autem hæc supponam, infra explicabo. Rursus aduerto duobus modis posse intelligi aliqua produci distincta actione. Vno modo per se primo, & absque vlla naturali connexionem, vel consecutionem talium actionum inter se; alio modo cum connexionem actionum, ita ut vna ex altera naturali necessitate resultet. Vnde e contrario duobus etiam modis possunt dici aliqua eadem actione fieri, scilicet vel æque primo, & absque vlla dimanatione vnius ab alio, vel vnum primario, & aliud secundario, quatenus à priori termino necessario resultat.

XVI.

Igitur, quæ priori modo per se primo sunt actionibus in re distinctis, necesse est, ut in re distinguantur: & quoad hoc verissima est regula supra posita. Quia tota ratio & distinctio actionum, sumitur à terminis: ergo, si termini tales sunt, ut requirant actiones distinctas, etiam ipsi erunt distincti: tamen non potest hinc absolute inferri distinctio realis inter terminos, nec maior, quam sit inter ipsas actiones; quæ interdum possunt realiter distingui, ut productio ligni, & calefactio eius: interdum vero tantum modaliter, ut productio ligni, & motio localis eius, quæ tantum distinguuntur, ut duo modi eiusdem ligni: & eodem modo distinguuntur res productæ per huiusmodi actiones: nam per priores producitur substantia & calor, quæ sunt realiter distinctæ; per posteriores vero substantia & vbi, seu præsentia localis, quæ tantum modaliter distinguuntur. Seruat ergo proportionalem distinctionem res productæ cum suis productionibus. Quod quidem verum est, non solum quando huiusmodi actiones separatim sunt, & absque naturali coniunctione, ut contingit in productione, & calefactione ignis, sed etiam quando illæ actiones naturaliter coniunctæ sunt, & vna resultat ex alia. Ut contingit, v.g. in productione alicuius rei grauis in regione aerea, & motu eius deorsum, qui naturaliter ad talem generationem consequitur: ibi enim euidenter, & fere ad sensum patet distinctio actionum: quia vna fit intrinsece in vno instante, alia tantum extrinsece in eodem inchoatur. Esse tamen potest eadem distinctio & consecutio inter actiones instantaneas, ut inter productionem ignis, & consecutionem caloris, & idem est de productione animæ, & emanatione potentiarum eius ab ipsa: nam si illæ potentie sunt res distinctæ, etiam illa emanatio est actio physice distincta, quamuis ab alia resultet: ideo dicatur non fieri per se primo. Et similia

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

exempla adhiberi possunt in actionibus tantum modaliter distinctis, ut sunt creatio angeli, verbi gratia, & productio alicuius vbi, seu præsentia localis, quæ ad illam naturaliter consequitur: & productio alicuius quantitatis, & figuratio eius, quæ postea fit; & idem est de productione fundamenti, & resultantia relationis, supponendo eam esse modum distinctum. Atque ita constat, instantias seu exempla adducta contra illam sententiam non virgere, nam in illis omnibus, sicut est distinctio inter actiones, ita & inter terminos, & e contrario.

XVII.

Constat deinde, quo sensu verum sit principium ab Aristotele dicto loco positum, *quæ vna productione generantur esse idem*. Est enim hoc verum de his quæ per se sunt, & immediate vnica actione realiter, quæ autem solum dicuntur produci, vel potius conproduci vna actione, quatenus vnum resultat ex alio, non oportet ut sint idem realiter, sed solum subiecto, vel colligatione quadam: quia reuera immediate & proxime non sunt vna reali actione, ut in substantia & passionibus realiter distinctis declaratum est. Imo necesse est, ut illa vna actio indiuisibiliter sumatur, nam si sit aliquo modo composita poterit in adæquato termino eius reperiri aliqua distinctio. Ut vnica actione v.g. calefactione, seu educatione formæ de potentia materiæ fit calor seu forma, & vnitur subiecto seu materiæ, vbi in termino duo sunt ex natura rei, seu modaliter distincta, scilicet entitas formæ seu caloris, & vnio eius, & tamen actio est vna; tamen aliquo modo composita ex modis, quasi partialibus, qui in ea possunt considerari.

XVIII.

Atque hinc ulterius ex dictis constat, cur dixerim, hoc signum fere esse inutile ad distinctiones rerum cognoscendas: nam iidem varii modi distinctionum possunt reperiri inter actiones, qui sunt inter terminos, scilicet, realis, modalis, & interdum rationis, ut est inter generationem hominis & animalis: hi autem modi distinctionum non sunt nobis notiores in actionibus, quam in terminis. Quin potius frequentius magisque à priori distinctione actionum ex terminis veniamur: non enim alia ratione censemus, calefactionem esse actionem realiter distinctam à ligno, constitutionem autem eius in tali vbi solum modaliter distingui, nisi quia calor est res distincta, præsentia autem localis solum est modus distinctus. Addidi præterea, hæc esse intelligenda de distinctione actionum, quam termini per se & natura sua requirunt, quia, si actiones solum distinguuntur, vel ex temporis successione, vel ex diuerso modo, quo fiunt, non est necesse, ut ex distinctione actionum, aliqua distinctio in termino colligatur. Nam sicut eidem rei possunt modi distincti inesse, præsertim successiue, ita ad eundem terminum possunt distinctæ actiones terminari, si sint à distinctis agentibus, vel distinctis temporibus, quomodo idem lumē nunc producitur vna actione ab vna lucerna, & potest deinde ab alia per actionem distinctam conservari; & idem homo per generationem producitur, & per resurrectionem reproducitur. Dixi denique non esse admiscenda miracula, quia diuina virtute non solum successiue, sed etiam simul potest eadem res pluribus actionibus produci, aut conservari, ut in 3. tom. 3. partis, latius tractaui. E contrario vero, non existimo fieri posse, ut res omnino distinctæ eadem actione producantur. Ratio autem differentiarum non est difficilis ex dictis, quia actio est quidam modus rei, quæ fit; non potest autem vnus, & idem modus indiuisibilis distinctis rebus inesse: ut in superioribus probatum est, quod autem plures modi eidem rei in sint, non est repugnantia: quando ipsi modi inter se non sunt oppositi: sed videri potest superfluum, quando, vel sunt eiusdem rationis, vel ad idem tendunt: tamen respectu diuinæ sapientie potest non esse superfluum, & nulla ostenditur pugnantia propter quam possibile non sit.

P

Expen-

Expenditur aliud signum realis distinctionis.

XIX.

Tertium signum adhiberi solet, scilicet quando unum se habet ut producens, & aliud ut productum, esse sufficiens signum distinctionis realis. Ita Fonseca libr. 5. Metaphys. capit. 6. qu. 6. sect. 1. ex Diuo Thom. 1. pa. qu. 41. artic. 4. Sed hoc signum in primis non est vniuersale, ut per se constat. Deinde si solum assignetur ad concludendam distinctionem ex natura rei, abstrahendo à modali, vel propria reali, est generaliter verum: si autem intelligatur de propria distinctione reali, ut verum teneat, coarctandum est ad productionem, vel substantialem propriam, perfectam ac primariam, vel accidentalem, quæ terminetur ad aliquid quod ipsi producenti non vnitur: nam in his duobus casibus semper requiritur distinctio realis; in aliis vero non semper. Primum patet, quia non potest idem suppositum substantiale se ipsum producere proprie ac primario, quia, ut producat, supponitur esse, & ideo si producit, suppositum, aliud à se distinctum producit. Vnde etiam diuinæ personæ, quamuis vnitatem in essentia habeant, ob realem productionem vnius ab alia realiter distinguuntur. Dixi autem, *proprie ac primario*, quia per miraculum fieri fortasse potest, ut aliqua res se ipsam reproducat; tamen tunc necesse est, ut illa res supponatur prius alia actione producta, & ideo secunda actio non est primaria productio neque propria, sed solum per modum conseruationis: de qua re latius in materia de Eucharistia. Secundum ita declaratur, quia, quicquid ab aliquo producit, debet ab illo in re ipsa actu distingui: quia ipsamet productio debet esse à producente distincta aliquo modo, maxime cum ponatur esse accidentalis: ergo & terminus eius debet esse distinctus à parte rei ab ipso producente: ergo si aliunde supponatur, quod talis terminus non producitur cum vnione & coniunctione ad ipsum producentem, necesse est, ut non sit modus eius, sed res distincta ab ipso, vel modus rei distinctus ab ipso: necesse est ergo, ut non tantum modaliter, sed re aliud distinguatur, vel per se immediate, vel ratione eius, in quo est. At vero, si productio sit accidentalis, & terminetur ad aliquid, quod vnitur, & coniungitur producenti, non est signum sufficiens distinctionis realis. Nam licet interdum possit interuenire talis distinctio, ut in visu producente visionem, & intellectu, voluntate, ac similibus facultatibus, quæ producunt qualitates realiter à distinctis, quibus ipsæ informantur: tamen hoc simpliciter necessarium non est, ut patet, quoadocumque id quod producit, solum est modus ipsius producentis, siue per se & per propriam actionem producat, ut in præsentia locali, quam in se efficit qui se mouet; siue per actionem tantum resultantem, ut in emanatione substantiæ à natura, & similibus. Quod si dicatur, non quameunque productionem, sed eam, quæ est res distincta à producente, inferre distinctionem realem producentis & producti: hic erit circulus omnino inutilis: nam actionem huiusmodi esse re distinctam à producente, non potest aliunde colligi quam ex eo, quod non producit per eam modus aliquis producentis, sed vera qualitas, seu forma ipsum afficiens, quod inquirerebatur.

XX.

Atque idem iudicium est de alio signo, quod idem author ibidem subiungit de relatione causæ & effectus. Nam hoc maxime habere potest locum in causa efficiente, de qua procedunt omnia dicta: & applicari suo modo possunt ad causam formalem, vel materialem: nam, licet propriissime non reperiuntur, nisi inter actum & potentiam realiter distincta: tamen aliqua etiam ratione interueniunt inter modum afficientem, & rem affectam: in causa autem finali non habet locum, cum finis & effectus possint in eandem

rem coincidere: imo & finis, & agens, vel finis, & forma.

Vix ergo potest aliquod certum indicium realis distinctionis dari, quando res huiusmodi sunt, ut naturaliter semper ac necessario sint inter se realiter vnite, & hæcenus non sunt diuinitus separatæ, non nego tamē posse inueniri plures res huiusmodi realiter distinctas, ut exemplis superius allatis constat, sed solum assero, huiusmodi distinctionem non posse aliquo generali signo discerni, sed in singulis considerandam esse propriam rationem essentialem, & gradum perfectionis, & munus, ad quod ordinatur. ut ex omnibus in vnum collectis possit iudicium de distinctione fieri: ut v.g. inter materiam & formam cæli, & facile credimus, esse distinctionem realem: quia ex communibus rationibus essentialibus materiæ & formæ intelligimus neutram earum esse modum, sed veram entitatem: & aliunde ex variis proprietatibus cæli intelligimus, in eo reperi vtramque secundum proprias rationes earum, ac denique ex limitata earum perfectione cōcludimus, ipsas esse ex natura rei, & consequenter realiter distinctas. Simili modo inter formā substantiā & potentiā per se primo ordinatā ad actū accidentalem efficiendū creditur intercedere realis distinctio: quia ratio facultatis operatiuæ valde perfecta in suo genere est, vnde non videtur esse aliquis modus accidentalis, qui solet esse valde imperfectus, sed vera entitas & forma per se ordinata ad talē actum: aliunde vero, considerata limitatione substantiæ finitæ, non videtur in sua essentia limitatione, prout in re existit, cōprehendere tā diuersas rationes, seu habitudines ad actū? adeo diuersos quales sunt actus essendi & operandi: vnde cōcludimus, esse inter illa duo reāle distinctionē, cum non sit inter re & modū, sed inter essentias, cōstituentes proprias entitates. Ad hunc ergo modum in cæteris philosophandū est, cōsiderando prius, an rationes illæ inter quas distinctio quaeritur, excedant rationē modī, & vtraque per se sufficiat ad constituendā entitatē, & deinde, an tanta appareat in eis diuersitas ut in re finita requirant aliquam distinctionem ex natura rei, & actualement in re ipsa; & ita fieri poterit probabills coniectura de qualitate distinctionis.

Dubium occurrens de separabilitate rerum distinctarum.

Dubium vero superest, quod in altera parte propositæ difficultatis tangebatur, an scilicet omnia quæ sunt à parte rei realiter distincta, possint per diuinam potentiam separari. Quod potest de duplici separatione supra tacta intelligi. Primo de sola separatione quoad vnionem realem conseruato in esse vtroque extremo. Secundo, de separatione quoad esse, id est, in qua vno destructo, aliud in esse conseruetur. Suppono autem, quæstionem versari circa res omnino inter se condistinctas, ita ut non se habeant ut totum, & pars, seu ut includens & inclusum: nam de his constat, quod aliud includit, non posse sine illo conseruari: quia ex illo intrinsecè constat. De rebus autem priori modo condistinctis variæ possent referri opiniones, quas omitto, quia ad particulares materias pertinent. Et ad priorem sensum respondendo huiusmodi res semper posse illo modo separari de potentia absoluta (sic enim loquimur) neque occurrit vlla exceptio, quam in hoc facere oporteat. Et ratio est, quia his rebus non potest repugnare mutua separatio vnius ab alia ex defectu sufficientis entitatis (sicut in modis contingit) quia, ut supponimus, vtraque earum habet veram entitatem distinctam ab alia: si ergo est repugnancia, solum potest esse, vel ex dependentia vnius ab alia: vel ex naturali connexionem seu dimanationem alterius ab altera: non

XXI.
Conclusio
ex dictis ali-
citur.

XXII.

Realiter di-
stincta res
non separari
possunt si in
esse sunt
con-

ra: non enim potest alia ratione excogitari. Sed, quā-
uis hic recte inferri possit naturalis inseparabilitas,
non tamen in ordine ad potentiam Dei absolutam:
quia vt supra tactum est, omnem illam dependentiā
potest Deus supplere: quia vel est dependentia in
genere causā efficientis, vel, si est causā formalis,
aut materialis, non est tanquam intrinsecē compo-
nentis, sed tanquam sustentantis, vel actuantis rem
à se distinctam, quā dicitur causalitas quodammo-
do extrinseca, quam totam Deus supplere potest.
Multo aut facilius potest impedire quamcunque natu-
ralem dimanationē: tum quia illa fieri non potest
sine influxu Dei, quem ipse potest non dare, tum etiā
quia potest destruere quamcunque vnionem inter
illas duas res, & sua virtute sola vtramq; efficere vel
conseruare. Itaq; in hoc, nec generalem repugnantia-
m, nec rationabilem exceptionem inuenio. Nam,
quam aliqui faciunt de passionibus & essentia, vel
nulla ratione nititur, vel si quā est apparens, illa po-
tius probat, illas non esse in re distinctas, quam, sup-
posita distinctione, separari non posse.

XXII.
Dicitur
vnde.

Solum posset instari de relationibus vnionis, ver-
bi gratia, materiæ & formæ, quæ realiter distinguun-
tur, sicut ipsa materia & forma; quia in ipsis sunt ad-
dz quare, & tamen non possunt conseruari distinctæ,
sed tantum vnita. Respondetur primum, si fit sermo
de relationibus prædicamentibus, fortasse illas
non esse aliquid reale distinctum in re ab huiusmo-
di vnione, sed solum mutam denominationem re-
rum vnitarum inter se: vel, si admittamus illas re-
lationes esse positius modos reales partium vnita-
rum, responderetur, illas non esse inter se vnitas, for-
maliter loquendo: sed esse inter partes vnitas: ideo-
que non posse conseruari sine vnione earum; quia
in illa fundantur, quod non est contra dicta. Si au-
tem fit sermo de ipsa vnione formali, quæ est rela-
tiua secundum dici, seu transcendentaliter, illa non
est res distincta à partibus vnitis, sed modus earum;
& ideo mirum non est, quod non possit talis modus
conseruari dissoluta ipsa vnione, cum sint idem mo-
dus & vnio.

XXIV.
Rum di-
stinctionem
vna de
pess, ma-
nente altera
in esse.

Ad posteriorem autem sensum respondeo, etiam
illo modo posse res distinctas separari per potenti-
am Dei, triplici adhibita exceptione, quæ sub vno
nomine essentialis habitudinis, vel dependentiæ cō-
prehendi potest. Ratio generalis regulæ est ferè iam
tacta, quia, si res realiter distinguuntur, disungi et-
iam realiter possunt: quæ sic autem distincta sunt, nō
repugnat, vel contradictionē inuoluit, vnum à Deo
conseruari sine alio, quia regulariter solum potest ef-
se inter illa dependentia effectiua, non vero essentia-
lis: & illam Deus supplere potest.

XXV.
Prima ex-
ceptio de
Deo
& creatura.

Vnde prima exceptio est de creaturis respectu Dei:
sunt enim res à Deo distinctæ, & potest Deus sine il-
lis esse, non autem illæ sine Deo: non solum quia
Deus est per se ens necessarium, sed propter essentia-
lem dependentiam, quam habent à Deo: ratione ei-
us, si per impossibile fingatur Deus non esse, non
possent creaturæ esse sine illo. Quam dependentiam
effectiuam ita essentialē non habet vna creatura
ab alia, præsertim, si habeat veram entitatem, & rea-
litate, de qua nūc loquimur, nam fortasse id, quod
intrinsecē tantum est modus, potest essentialiter de-
pendere ab eo, cuius est modus: de quo alias, nam ad
præsens non refert.

XXVI.
Secunda de
relatione &
termino.

Secunda exceptio est relationis & termini realiter
distincti, non enim potest in rerum natura alterum
sine altero mutuo conseruari, quamuis non habeant
inter se propriam realem vnionem, sed habitudi-
nem. Ratio vero est, quia relatio vt sic essentialiter
& quasi formaliter pender à termino, & ideo neque
conseruari, aut conseruari potest sine illo: neque ab-
undè potest hæc ratio amplius probari, nisi quia hu-
iusmodi est relatio essentialis, vt nunc ex commu-

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

ni opinione supponitur: loquimur enim de relatio-
nereali purè prædicamentali.

Tertium exemplū est de diuinis personis, quæ, li-
cet distinguantur realiter, non possunt inter se sepa-
rari in esse, propter intrinsecam & necessariam con-
nexionem, quam inter se habent. Quæ potest ad præ-
cedens caput reduci: sunt enim relatiuæ personæ, &
ideo vna esse non potest sine alia. Item oritur ex vni-
one, quam habent in essentia per veram atque per-
fectam identitatem cum illa; ratione cuius sit in pri-
mis, vt quælibet illarum personarum sit ens simplici-
ter necessarium: atq; adeo, vt ei repugnet absolute &
simpliciter non esse, & consequenter sit, vt nulla pos-
sit esse sine alia: quia, si nulla illarum personarum po-
tesset non semper esse, neq; etiam poterit vna esse, cum
alia non sit. Sicut ob hanc etiam causam, quamuis
creaturæ non pendeant per se à relationibus diuinis
vt sic, nihilominus non possunt prædicto modo sepa-
rari in esse ab eisdem relationibus: quia non pos-
sunt creaturæ existere, quin supponantur relationes
illæ existentes, sunt enim ens simpliciter necessarium;
& licet ex parte creature non sint per se necessaria ad
eius creationem, tamen ex parte Dei sunt necessaria:
quia & per se sunt in Deo; & ipsæ essentialiter sunt
Deus. Denique formaliter ac sufficienter id proue-
nit ex vnione cum essentia per identitatem: nam cū
quælibet relatio & essentia sint inter se omnino idem
in re, neque essentia esse potest à parte rei sine quali-
bet relatione, neque relatio quælibet sine essentia.
Vnde fit: vt neque etiam vna relatio possit sine aliis
existere. Dices, hoc argumentum fundari in illo
principio Aristot. 4. Metaphys. text. 3. *Quæ sunt eadem*
vniterio, sunt eadem inter se, quod in Trinitate locum
non habet: alioqui non solum inferretur, vnam re-
lationem non posse esse sine alia, sed etiam esse aliam:
responderetur formaliter non fundari in illo princi-
pio, sed vel in hoc, quod ea quæ sunt omnino idem
in re, non possunt ita in re separari, vt vnum sine alio
existat, vel certe in hoc, quod essentia & relatio di-
uina, non vtrunque sunt idem, sed ita vt essentia sit
de essentia relationis, & relatio sit intrinsecus termi-
nus essentia, & ideo nec relatio potest esse sine essen-
tia sibi essentiali, neque essentia sine suo termino in-
trinsecō, & simpliciter necessario. Sed de his satis pro
huius loci occasione.

XXVII.

Tertia de
personis di-
uinis ab in-
dicem.

Obiectio sol-
uitur.

Signa distinctionis rationis.

Vltimo ex dictis facile intelligi potest quomodo
distinctio rationis possit dignosci, & ab aliis dis-
cerni. Nam in primis, de distinctione rationis ra-
tiorcinantis nulla est difficultas, quia, cum hæc non
solum non sit in re, sed neque etiam in illa habeat
fundamentum, facillimè cognoscetur; maxime,
cum neque etiam in ipsis conceptibus obiectiuis
habeat formalem diuersitatem, sed solum quasi
materiam per repetitionem, vel comparisonem
eiusdem conceptus, quo, cum vnus sit, vt pluribus
vtimur, sicut Aristoteles dixit. 5. Metaphys. caput. 9.
text. 16. Distinctio autem rationis ratiocinatæ in-
primis requirit diuersitatem aliquam formalem in
conceptibus obiectiuis, in quo differt ab altera dis-
tinctione rationis ratiocinantis, conuenit autem in
hoc cum distinctionibus in re inuentis. Vt autem
realis distinctio iudicetur rationis, & non rei, satis est
vt præter illam distinctionem conceptuum, nullum
inueniatur signum ex omnibus positis ad distinctio-
nem modalem, vel realem cognoscendam: nam, cum
distinctiones non fiat multiplicandæ sine causa, &
sola distinctio conceptuum non sufficiat ad inferen-
dam distinctionem rei, quandocunque cum illa di-
stinctione conceptuum non adiungitur aliud signum
maioris distinctionis, iudicanda semper est distin-
ctio rationis, & non rei. Ex quo infero, quandocun-
que certo constet, aliqua duo quæ in re vnita & con-
iuncta sunt; ita esse in conceptibus obiectiuis distin-

XXVIII.

P 2

Sta, vt

cta, ut in re & in indiuiduo sint prorsus inseparabilia, tam mutuo, quam non mutuo, & tam de potentia absoluta, quam naturaliter, & tam quoad esse, quam quoad realem unionem inter se, tunc magnum, & fere certum argumentum esse, illa non distinguui actu in re, sed ratione ratiocinata. Probatur ex dictis, & primo inductione: nam Petrus, homo, animal, & cetera predicata prout in re sunt in Petro, non distinguuntur ex natura rei. Similiter in intellectu ratio superior & inferior, synderesis, memoria, & similia attributa eius, non significant aliqua in re distincta, sed ratione tantum ratiocinata: quia illa potentia talis est, ut hæc omnia in sua adæquata ratione comprehendat, nec sint in illa separabilia vilo modo etiam de potentia Dei absoluta, quo ad ipsam facultatem, seu actum primum, licet quoad usum possint separari. Secundo ratione insinuat, quia, quæ huiusmodi sunt, non alia de causa videntur ita inseparabilia, nisi quia in re vnam & indiuisibilem habent essentiam, & entitatem: alioquin saltem diuina virtute separari non possint, præsertim in creaturis? Denique, quia ibi nullum est sufficiens signum maioris distinctionis: ergo debet iudicari illa distinctio, esse rationis, quamdiu maior non conspicerit.

SECTIO III.

Quomodo idem & diuersum tum inter se, tum ad ens comparentur.

I.



E eodem & diuerso ait Aristot. 5. Metaph. ca. 9. & multi hanc ponunt inter distinctiones passionis entis, quæ nos supra diximus sub vnitatem comprehendere: sumiturque ex Aristot. lib. 10. Met. tex. 9. cap. 5. & 6. & ideo in fine harum disputationum de vnitatem & multitudine pauca dicenda sunt de eodem & diuerso, potius ad explicandum usum plurium vocum in hac scientia quam ad rem nouam addendam, quidquid enim ad rem spectat, in his quæ de vnitatibus & distinctionibus diximus, traditum est.

II.

Primo igitur aduertendum est, idem duobus modis dici posse, scilicet relatiue, & negatiue, seu (prout alij loquuntur) formaliter, & fundamentaliter. Idem enim formaliter sumptum relationem importare videtur, in quo maxime ab vnitatem distinguitur: negatiue autem dicitur idem, quod non est ab aliquo diuersum, seu distinctum: quomodo fere nihil differt ab vno, nisi quod vnum dicit negationem diuisionis in se: idem vero dicit negationem diuisionis à se, seu ab eo, cum quo ens idem esse dicitur: propter quod dixit Aristot. 5. Metaph. capit. 9. text. 16. *identitatem vnitatem esse quandam ipsius esse*. Et declaratur in ea identitate, quæ aliquis dicitur esse idem sibi; nam, si hoc relatiue sumatur, & formaliter, tantum dicit relationem rationis, ut sumitur ex Aristotele supra, & est certa & communis sententia, quia eiusdem ad se ipsum non potest esse relatio realis: quia oportet veram esse oppositionem inter relationem, & terminum, quæ non potest esse eiusdem ad se ipsum, tamen hoc modo, seu formaliter non dicitur aliquis idem sibi, id est, ad se referri tali relatione, nisi quando per intellectum ita concipitur, seu comparatur. At vero sine vlla huiusmodi comparatione, vel fictione intellectus dicitur aliquis idem sibi fundamentaliter seu negatiue: quia non est à se ipso diuersus, seu diuisus. Atque hoc posteriori modo potest identitas inter passionis entis numerari: quamuis illa negatio, ut supra dicebamus, non soli enti vero, sed etiam ficto, attribui possit, neque soli enti per se, sed etiam cuiuslibet aggregato entium, seu multitudini ac numero: quilibet enim numerus est idem sibi, sicut vnum, vel vnitatem. Alio sensu distinguit Scotus identitatem in

absolutam & relatiuam, prout referunt Heruani Quodlib. 4. q. 2. & Soncin. 10. Metaph. q. 3. lauell. qu. 7. Absolutam identitatem vocat, quæ vna res dicitur idem sibi, quia ibi non implicatur respectus ad aliam rem. Relatiuam vero identitatem vocat, quæ vna res dicitur eadem alteri. Et has duas identitates vult Scotus, ut dicti auctores referunt, esse re ipsa distinctas, & in hoc illum impugnant. Et quidem si identitas respectiva sumatur inter res, tantum ratione ratiocinata distinctas, ut sunt homo, & Petrus, merito improbat illa sententia, quia identitas Petri ad se ipsum, vel ad hominem, aut animal non differunt re, sed ut maior, & minor secundum rationem; alias oporteret extrema ipsa in re distinguui: si autem identitas respectiva sumatur inter res realiter distinctas & sic comparatur identitas, quæ Petrus est idem sibi vel quæ est idem Paulo, sic possunt dici identitates re ipsa diuersæ, cum altera sit rei, altera rationis: de nominibus autem curandum non est, cum res consistat.

Secundo obseruandum est ex Aristotele supra, identitatem aliquando considerari in aliqua re in se ipsa: seu respectu sui ipsius: aliquando vero in multis inter se collatis, seu in vna re cum alia comparata. Priori modo dicitur Petrus idem numero secum. Posteriori autem modo est idem specie cum Paulo, vel idem genere cum Leone. Et hoc modo dixit Aristot. 5. Metaphysic. cap. 9. eadem esse, quæ in aliquo vnum sunt, vel in genere, vel in specie, vel in aliqua ratione analogæ. Prior identitas si quoad negationem, vel fundamentum consideretur, est identitas simpliciter, sicut & vnitatem, quia est identitas realis: in ratione autem respectiva est tantum secundum quid: quia relatio identitatis ad se ipsum non est realis, sed rationis. E contrario vero identitas plurium distinctarum rerum in ratione communi (de creaturis enim loquimur, ut omitamus identitatem trium personarum diuinarum in vna numero, essentia) quoad fundamentum: & quoad negationem diuisionis, est tantum identitas secundum quid, vel potius est similitudo quædam: quia solum est vnitatem rationis, ut supra ostensum est, quoad relationem vero identitatis censetur hæc identitas simpliciter, quia relatio hæc, cum sit inter res distinctas, realis est iuxta commune conceptum de relationibus, de quo infra videbimus. Et hæc quidem quod ad rem spectat, generalia sunt: quod autem pertinet ad usum vocum, est obseruandum, conuenientiam hanc plurium rerum in ratione communi in substantiis retinuisse nomen identitatis, simpliciter loquendo, ex accommodatione vsus, & quasi per antonomasiam: in qualitatibus vero vocari similitudinem, in quantitate vero vocari æqualitatem, quamuis hæc vox non tantum significet conuenientiam in essentiali ratione, sed etiam in magnitudine. In his tamen omnibus, sicut est idem modus vnitatis, ita etiam & eadem ratione formalis identitatis, & ita hæc omnia comprehenduntur sub eodem & diuerso, prout transcendentaliter sumuntur, & enti attribuuntur.

Tertio obseruandum est, cum idem dicatur per negationem diuisionis, vel à se ipso, si vnus dicatur idem sibi, vel inter aliqua duo, si illa dicantur esse idem, quot sunt modi diuisionis seu distinctionis, tot posse esse modos identitatis, iuxta illud, quot modis dicitur vnum oppositorum, tot potest dici & reliquum. Vnde fit, aliqua esse posse idem re, & modo, & ratione ratiocinata: nam ratione ratiocinante, nihil est quod non possit à se ipso distinguui, si aliquo modo ad se comparetur: nam si nullo modo ut plura concipiatur, iam nullo modo erit aliqua, sed aliquid tantum: vnde Aristot. citato loco ait, *identitatem esse vnitatem quandam aut plurium, aut cum quis vno ex pluribus vtiatur*. Aliqua vero sunt idem re & modo, non tamen ratione: alia possunt esse idem secundum rem, non tamen secundum modum: alia denique nullo modo

III.

IV.

Quod dicitur
similitudinem
non identitatem
in genere